



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

Reverendissimo in Christo patri, & pientissimo Principi, ac domino D.
Conrado à Tungen, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

REVERENDISSIMO IN
Christo patri, & pientissimo Princi-
pi, ac domino D. Conrado à Tun-
gen, Herbipolensis ecclesiæ Episco-
po dignissimo ac Franciæ Oriē-
talis duci, domino suo ob-
seruantiss. Ioannes
Eckius S. D.

Gratias agit Deo in orationi-
bus suis, reuerendissime pa-
ter & princeps, diuus Paulus
apostolus, audiens charitatem Phi-
lemonis & fidē, quā habebat in domi-
no Iesu, & in oēs sanctos eius. Opti-
me enim perspectū habuit secretorū
dei conscius aulus, tunc cuiuslibet
fidem corā deo splendescere, quan-
do eam sanctis & amicis dei veteri-
bus maxime conformem reddere sa-
tagit: quemadmodum Israel non so-
lum deo credidit, sed & seruo eius
Moyfi. Et boni ac synceri quique à
Christo passo, in hunc diem seculo
præstiterunt, sobrie, & nō plus quā
oportet sapientes. Verum qui hac re

Ad Philē-
monem

EXO. 14

A 2 gula

EPISTOLA

gula apostolica neglecta, ambulauerunt in mirabilibus super se, & extulerunt se velut Lucifer, & dæmonium meridianum in fidei credere nolentes, decepti sunt, & in præcipitium errorum dati sunt, dum veteres illos apostolicos viros, eruditione spectabiles, moribus insignes, autoritate conspicuos, atque miraculis claros, aspernari non verentur. Hi inquam non nisi venenata dogmata à salute aliena, à recta fide deuia, & veritatis expertia, mundo inuehere moliti sunt. Nam qui non ducitur concordie sanctorum patrum sibi in ecclesia succedentiū professione, vnanimique conciliorum sententia, in abominabiles quosque errores, insolenti ac superba temeritate, præceps corruat, necesse est. Hanc vāsanam & procaetem maluit imitari temeritatem Luther, cum complicibus suis, qui in sanctos dei & fidei regulam quā vniuersa obseruat ecclesia, pie cum Philemone

DEDICATORIA.

monere credere: nam & peruersa voluntate contra ministros dei, sanctissimos patres, atque vniuersam obmurmurat ecclesiam, suum ipsius iudicium (o plusquam cæcam vanissimi hominis superbiam) omnibus ecclesie proceribus anteferens: Pudendam vero suam insaniam paucis initio delinuit articulis, aurem captans popularem, quo nocentiora & magis virulenta, in posterum sicutienter haurirēt erroris pocula. Multorum profecto animos, leui indulgentiarum tyrocinio dementauit, vt quæq; versum postea eos agitaret, & in omnem erroris impelleret ventū. Quo factum est, vt indies auctior factus sit discipulorum suorum numerus, potissimum Machumetica illa accedente libertate, in quo mirum quàm sibi elatus ille placuerit, quod oues suas, vt Dauid inquit, vidit fœ Psal. 149 tofas, nam sic de hæreticis intelligi existimat Hieron. Ad hæc nostris ita

A 3 exi-

EPISTOLA

exigentibus peccatis, rami & stolo-
 nes prodiere, radice pestilentiores,
 cum sectarum exorientium nullus
 sit finis. Experimur nempe, nostro
 hoc infœlici sæculo, Iconomastiges,
 imaginũ incendiarios, Capharnai-
 tas, quibus venerabile corpus Chri-
 sti in Eucharistia durus est sermo,
 Catabaptistas, qui pueris baptismũ
 negant, & adultos tingit, & horum
 omnium quotidie diuersa sectio, vt
 nec Cuniculi sæpius pariant, quàm
 hæretici. Hæc vero iratus Deus per-
 mittit, quod non valide, atq; arden-
 tibus votis dei, cū Osæa obsecramus
 clementiã, vt det illis, quid det illis?
 vuluam sterilem, & vbera arenaria,
 quod conuenientissime de hæreticis
 explicat Hierony. qui in populorum
 multitudine gloriantur, & in his fi-
 lijs quos nutrierunt ad interitum, vt
 educerent eos de ecclesia ad interfe-
 ctorem. Tot enim diabolus iugu-
 lat, quos in errore hæretici genuerunt

DEDICATORIA

funt filios. Quantumuis autem hæ-
resis inualescat, speculatoribus Siō,
non est tacendum, sed vox velut tu-
ba, exaltanda est, contra Philistæos
illos exprobrantes: aciem dei viuen-
tis, & pro turri David omnibus ani-
mi viribus pugnandum est, in qua
mille pendent clypei, & omnis arma-
tura fortiū, quod strennue hætenus
fortissimi quicq; præstiterunt viri in-
literis sacris clari, & ego omniū mi-
nimus, cum his bestijs dentatis iam
sæpe, & eminus, & cominus pugna-
ui. Cominus quidem Lipsiæ cum ip-
so draconis capite Luthero & Caro-
lostadio, 20 diebus disputando spe-
ctante nonnunquam Christianissi-
mo principe D. Georgio Saxonie Dux Geor-
duce. Et in Baden cum Capharnaita Baden,
Oecolampadio & asseclis, assidenti-
bus duodecim Contonum Heluetio-
rum, & quatuor Episcoporum Am-
basiatoribus, pluribus diebus confli-
xi. Eminus vero editis aliquot in
Ger-

EPISTOLA

L. Campe-
gij

Germania & Italia libellis, cum he-
reticis manum conserui. E quorum
numero, Enchiridion fuit locorum
communium, annis ab hinc quatuor
prælo commissum, quod ea quidem
ratione, hortatu reuerendissimi Do-
mini Cardinalis Diui Laurentij, de
Campegij, sedis apostolicæ legati
edideram, quo occupationes, qui-
bus non vacat grandia Heroum vo-
lumina reuoluere, in promptu & bre-
ui, vt aiunt, manu haberent, quo he-
reticis occurrerent. Et simpliciores,
quibus cortice natare opus est, sum-
marium haberent credendorum, ne
à pseudoapostolis subuerterentur.
Non mea me fefellit opinio, nam
tam beneuolenter, & obuijs, vt aiūt,
manibus, hic liber à pluribus exce-
ptus est, vt quater iam hoc breui o-
pusculo à Chalcographis Baioarie
publicatus sit. Tubingæ quoque in
Sueuis bis sit excusus, vidimus quo-
que eum in Parisiensibus, Lugdunē-
sibus

DEDICATORIA.

sibus, ac Coloniensibus characteribus expressum. Vnde amici nostri, obnixius me hortati sunt, ad nouam Enchiridij editionem. Parui ergo petentium importunitati, quamuis pluribus alijs literarijs, ac ad populum declamandi, atque in scholis legendi, negotijs pene obruar. Itaq; locos priores sub censuram euocauimus, & in pluribus locupletauimus, & duos nouos, post proximum auctarium, locos adiecimus, vt renatus, & nouus ferme liber videatur. Eum utcuq; tenellum, & exiguum, tibi optimo principi Reuerendissime antistes, de dicare uolui, quod haereticorum partus mala soboles, iam altera vice, te tuamq; ecclesiam hostiliter inuasit, atq; in summum adduxisset discrimen, nisi tu prudentissimi Naucleri functus opera, a tantis procellarum fluctibus, mirabili prudentia, atq; inuicta fortitudine, nauem periclitantem, ad portum tranquill-

EPIST. DEDIC.

quillitatis subduxisses. D. O. M.
pro ineffabili sua clementia, digne-
tur & in posterū diuo Kiliano inter-
cessore, iam amplitudinem tuā, con-
tra fidei & ecclesie hostes, tueri for-
titer, & fouere suauiter. Vt te duce,
atque victore, Catholici reliqui, &
plebs fidelis animosiores reddantur
ad verā orthodoxam fidem retinen-
dam atq; defendendam, ne traditi in
os leonis rugientis ad inferos demer-
gātur. Tuum fuerit, ita obsecro, am-
plissime præsul, hanc nostram obla-
tionem, ex sincero & te vehemen-
ter amanti animo profectam, boni
consulere, & in incepto fidei negotio
fœliciter perseuerare. Vale, & salue
Antistitum decus, & ornamentum
Ingoldstadij Baioariae, ipso san-
cto die Epiphaniae. Anno
M. D. XXXIX.